Oborski Nicolai: Conclusiones theologicae de legibus ex D. Thoma.

Oborski Nicolai Ord. Praed.

Conclusiones theologicae de legibus ex D. Thoma.

CONCLVSIONES
THEOLOGICÆ
DE LEGIBVS.
EX
D. THOMA.



aa.

VIRTUTI ECCLESIÆ PATRIÆ

Tob. Sic. fecit

E

D

CO

I

TO



ex cuiu
mente c
tias in
let, cen
parsimo
enim ta
arena e
uentur
vectiga
Te PR
Nam ul
sthenis
quam d
Legibus
bonus ar
bus imm
pestatem
pressum
ex Bened

EXIMIO ET ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D· BONIFACIO ROSTOCKI·

COMMISSARIO NVNCII APOSTOLICI, PRIORI TYNECENSI DIGNISSIMO,

A C

TOTI TYNECENSIS CÆNOBII NOBILISSIMÆ COMMVNITATI, ORDINIS S. BENEDICTI,

Dominis, & Patronis Colendissimis.

I*Terum hodie Thomas Benedicti Vmbras quærit.* Eximie & Admodùm Reuerende, Dñe PRIOR Dignissime. *nec iam in Cassino Pago ast in sacro Legibus Areopago eius Nomini famulatur. Meruit quippe sanctum Benedicti Ascetorium, vt non solum bullatæ virgulta ætatis, verum & Doctoralem ei Thomas acclinaret exedram, ex cuius sacro nemore radices sumpserat. Vicinum cælis Benedicti Montem nunc mente conscendit: vt vbi rationis attigerat vsum, dictamen explicet rationis. Gratias in immensum suo diffusas Ordini mensurat Legibus; quas dum recensere non valet, censum parat. Quippe abunda munerum frequentia, interdum reminiscentiæ parsimoniam infert. & largo fonte effusæ dotes, memoriam cogunt naufragare. Quis enim tam locupletes Gratiarum Myriades reducet ad calculum, quibus recensendis arena est exigua? viuunt hactenus alto commendatæ pectori; proindeq; authoris mouentur adnutus. Trahit voluntatem exuperans in Benedicti Nomine bonitas, sibiq; vectigalem extorquet amorem. Quem verò aptiùs, hæc parua contingat portio, si non Te* PRIOR *Dignissime, qui & Nomine & Munere affinis es* BENEDICTO? *Nam vbi Ille dicere, Tu facere benè nosti. Gestet Benedictus tonantia eloquio Demosthenis Ora: Tu benefacientis Titi faciem portas, hoc vno felicior ab eo, quod nunquam diem perditurus sis, Thomistici solis stipatus meridie. Vltrò ille Theologicis Legibus quas bene scripsit, Tuum latus ambit, vt Benedicto affini Bonifacio, etiam bonus arrideat scriptor. Hinc liceat Nobis ex tam largâ bonitatis congerie, bonis auibus imminens redimire certamen, quibus etsi aduersorum Aquilo sudoris inducat tempestatem, illam tamen* ROSTOCIANA *Manus gemmis temperabit, dum ex suo expressum Nomine effundet rorem. Claro iam omine Victrices nobis adumbrant palmas ex Benedicti spineto pullulantes* ROSTOCIORVM ROSÆ, *quæ inquilinas sui, cer-*

 tamini

tamini nostro deuenent Gratias. Olim Athænis reperta in primis fundamentis ROSA, secundissima prosperitatis explicauit indicia: At perfectiorem nobis spondet fortunam, quia in se perfectus Tuorum florum ternio. Nullusq; casûs nos pauidos sinit. Nam siue langueat animus, siue titubet ratio, auitis Tuis floribus fulcietur. Nec Te hic labenti prætermitto memoriâ, huius Capitis Nobile Corpus TYNECENSE CÆNOBIVM, cuius emeritæ Virtutis verticem potestatis symbolæ coronant claues. Hinc vltrò etiam Leges nostræ quæ potestatem quandam spirant, in Tuo fauore sperant: grandem à Te præstolantes tutelam, pro quarum vigore etiam vibratum rotas mucronem. Nonnemo Legibus annuere calamo volens, eis duos excitauit colossos, vni diadematum ternionem, alteri Ensem commendans, addito: Nititur his Regnum. Huius viuum in Te nitet prototypon. Triplex ROSTOCIORVM ROSA Legibus vectigales coronat animos; TYNECENSIS Mucro rebelles arcet: Orbemq; in sui cogit stuporem, quam fauenti pectore Legum foueat vigorem. Ita semper Legum appretiabas valorem fæcundissima Iustorum Mater, TYNECENSE CÆNOBIVM: Prohinc etiam hanc viuam animi mei tesseram Tu ne cense vilem, quam Tibi Thomistica euoluit Palæstra. Non degeneres Benedicti Filij huic benedicite Operi, in Crucem actis auitis clauibus; quibus etsi fortunæ gazas aperire concessum, nec Conclusionum nihilominus abhorrescite clausulas. Nobilissimæ Communitati Vestræ bonum commune spirant, quia Legibus animantur. Te vero cuius tanquam Capitis influxum membra capiunt Dignissime PRIOR iterum interpello, vt Fraterni affectûs sincerum non dedigneris candorem. Illustriores quanquam merebaris Titulos, verùm etiam Lex hæc, Lux tua quandoq; erit. Erumpet ex asceticis lucis, luculentæ meridies lucis, & postquam Te aris ceu Tyry Herculem Legum adstrinxerit obligatio: Tyaris dignum reddet. Incolumes Tibi augebit horas, & in summo Fortunæ auge æternum stamen dabit. Quodsi cæteri quibus fata indixerunt excidium, sine Lege peribunt: Tu cum nostris Legibus perennabis. Nisi fortè vel ideò hunc exilem meum dedigneris laborem, quòd cùm Legibus Te conueniam, quem ad Leges parato aggredi expedit pectore. Ergo vt huic satisfaciam nodo: postquam Te in ROSTOCIANARVM ROSARVM prima, primum cæteris, in secunda, secundiorem omnibus volui, nunc venerabundus posco, mihi in tertia Legem pone.

Eximiæ & Admodùm Reuerẽdæ Dominationis Vestræ, totiusq; Nobilissimæ Tynecensis Communitatis,

Deuotissimus seruus

Fr. NICOLAVS OBORSKI Sacr. Theol. Præsentatus, Generalis Studij Cracouiensis Baccalaureus, Ord. Prædic.

SELE-

SELECTIORES
CONCLVSIONES THEOLOGICÆ
DE LEGIBVS.

Ex Prima ſecundæ Angelici Doctoris, à Quæſtione nonageſima, vſq; ad Quæſtionem centeſimam octauam incluſiuè, tranſſumptæ.

I.

CVm ex D. Auguſtino remotâ iuſtitiâ, nihil aliud ſint Regna, niſi magna latrocinia: meritò neceſsitas Legum inde colligitur. Nam Leges nedum ſunt fundamenta Reipublicæ, quibus nixa hæret, & firma in cæpto perſeuerat bono. Verùm nerui & ſanguis à Tullio appellantur, quibus quiſq; & ad officium iubendo vocatur, & à fraude vetando retrahitur. Verùm quia alia eſt ratio Theologis, à Iuriſprudentibus de Legibus tractandi, cùm illi conſiderent eas, vt ordinant nos in communem Reipublicæ pacem: Nos autem tractamus de eis, vt ordinant nos ad æternam illam, quæ in Dei viſione ſita eſt, felicitatem. Iure meritò Lex à nobis cum Angelico Doctore definitur: Quòd ſit quædam rationis ordinatio, ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata.

II.

HÆc autem Lex quantùm ad ſuam ſubſtantiam, non in intellectu ſimul & voluntate, neque in voluntate formaliter, ſed in actu intellectûs conſiſtit, cùm eius muneris ſit, præcipere & imperare: Licet præſuppoſitiuè, & de connotato importet actum voluntatis: Nam proprium eſt Legis mouere ſubditos ad aliquid agendum.

III.

ET quia ex Iſidoro, Lex nullo priuato commodo, ſed pro communi vtilitate Ciuium conſcripta eſt: Ideò aſſerimus de ratione Legis eſſe, quæ debet eſſe permanens, & quaſi perpetua, quòd pro communitate feratur. Poteſtas autem ferendi talem Legem, ſolùm pertinet ad multitudinem, vel ad eum, qui curam multitudinis habet.

IV.

PRomulgationem ad hoc, vt Lex obliget in actu ſecundo, neceſſariò requirimus, quam quidem promulgationem licet in definitione Legis includamus, illam tamen non eſſe de eſſentia Legis, vt rationem formalem firmiter tenemus, ſed ſolùm eam adſtruimus per modum conditionis neceſſariò requiſitæ, ad hoc vt actu obliget ſubditos.

V.

LEgem generaliter diuidimus in Diuinam & Humanam. Primam dicimus vim ſuam immediatè ab authoritate Dei habere: Secundam procedere immediatè ab authoritate humana à Deo accepta. Diuinam ſubdiuidimus, in Æternam, Naturalem, & Poſitiuam. Poſitiuam ſubdiuidimus in Veterem, & Nouam. Humanam autem ſubdiuidimus in Eccleſiaſticam & Ciuilem. Eccleſiaſtica quæ alias vocatur Ius Canonicum, diuiditur in Decretum, & Decretales. Ciuilis conſtat ex Codice Imperatoris Iuſtiniani, qui duodecim Libris abſoluitur, ex quinquaginta Libris Digeſtorum, ex quatuor Libris Inſtitutionum, & ex vno Libro Nouellarum.

VI.

Cùm autem de ratione Legis ſit, quòd & oſtendat hominibus, quid agere, vel omittere debeant, & procedat à ſuperiori eiuſque voluntatem contineat, inde eſt: quòd duplex officium Legis aſsignemus, Vnum quòd dirigat noſtros actus, aliud quòd per eam obligentur ſubditi ad eius obſeruantiam. Effectus autem eius præcipuus eſt, quòd reddat homines bonos, vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid.

VII.

LEx Æterna quæ eſt ratio Diuinæ ſapientiæ exiſtens in Deo ab æterno ſecundùm quod eſt directiua omnium actuum, & motionum ſingularum creaturarum, in Ordine ad bonum commune totius Vniuerſi; differt tum ab idea, tum à prouidentia. Ab hac autem Lege Æterna aliæ Leges tanquam à fonte profluunt, & ei omnes creaturæ ſubijciuntur, tam rationales vt quidem præcipienti & obliganti; quàm irrationales, vt quidem ordinanti & mouenti ad ſuos fines.

VIII.

LEx naturalis quæ eſt quoddam dictamen rationis naturalis nobis ab Authore naturæ inditum, non conſiſtit in ipſa natura rationali, neq; eſt ipſum lumen intellectuale in actu primo, neq; in ſolo Iudicio oſtenſiuo boni & mali: ſed conſiſtit in Iudicio præceptivo, nimirum in actu imperij. Ad hanc autem Legem licet omnia Præcepta Decalogi excepto tertio, quantum ad ſanctificationem ſabbathi ſpectent: tamen poteſt dari ignorantia vincibilis circa aliqua præcepta, quæ difficili diſcurſu & magno labore ex Præceptis vniuerſaliſsimis deducentur: Qualia ſunt Præcepta, quæ prohibent aliquos contractus, qui reuera uſurarij & ſimoniaci ſunt, tales tamen euidenter non apparent.

IX.

LEgem Humanam præter naturalem, & Diuinam hominibus eſſe neceſſariam firmiter contra Lutherum defendimus. Quæ quidem iuxta Iſidorum debet eſſe honeſta, iuſta, poſsibilis, ſecundùm naturam, ſecundùm conſuetudinem Patriæ, loco & tempori conueniens, vtilis, neceſſaria, manifeſta, nec priuato commodo, ſed pro communi ciuium vtilitate conſcripta. Hæc autem Lex Humana ad hoc vt obliget ſubditos, non requirit conſenſum, & acceptationem populi, ſed ſufficit quod iuſta ſit, & legitimè promulgata.

X.

X.

ADeſſe poteſtatem legislatiuam Ciuilem, tum in Republica, contra Anabaptiſtas ſuſtinemus, tum in Eccleſia Dei, cum Concilio Tridentino ſeſsione ſexta, Canone vigeſimo intrepidè contra Caluiniſtas aſſerimus. Hanc autem poteſtatem in Eccleſia Dei habet ſummus Pontifex immediatè à Chriſto, quatenus eam tradidit Petro, non perſonaliter, ſed vt Vicario. Et propterea ſummus Pontifex licet non habeat poteſtatem politicam, & iuriſdictionem temporalem in totum Orbem Chriſtianum, ratione tamen poteſtatis ſpiritualis, poteſt diſponere circa temporalia. Epiſcopi etiam habent poteſtatem Legislatiuam in ordine ad proprias Eccleſias, & Summo Pontifici ſubordinatas. Item Prælati Religionum habent eandem Poteſtatem Legislatiuam ex conceſsione Summorum Pontificum, limitatam tamen taliter, quòd non poſsint Prælati Religionum ſuis ſubditis imponere nouas Leges quo ad ea, quæ ſunt ſupra, vel præter eorum Regulam.

XI.

QVamuis Lex Humana non poſsit obligare ad actus purè internos, qui nullo modo per exteriores manifeſtantur, nec cum illis aliquam connexionem habent: tamen obligans ad illos actus internos, qui per exteriores ſufficienter manifeſtantur, taliter obligat, quòd eas tranſgrediens reus ſit culpæ apud Deum, & etiam aliquando obligat cum diſpendio propriæ vitæ. Huic autem Legi ſubduntur nedum illi, qui ſubduntur alicui poteſtati, ſed etiam ipſimet Principes & Legislatores.

XII.

LEges Humanæ ſicut poſſunt aliquando ex rationabili cauſa mutari, ita & à viris doctis interpretari. Diſpenſatio autem quæ eſt quædam iuris relaxatio, licet non cadat in Legem Diuinam, & Naturalem, benè tamen in Legem Humanam. Superior tamen ſubditum ſine iuſta cauſa à Lege Humana diſpenſare nequit. Si tamen ſubditus tali diſpenſatione vtatur, non peccat, quia vtitur jure ſuo.

XIII.

LEx Vetus quæ vocatur Lex Moyſis, fuit à Deo data per Angelos in monte Synai. Quæ nedum eſt bona, ſancta, ſed etiam vtilis: Non tamen fuit perfecta comparatiuè ad Legem Euangelicam. Hæc autem Lex Moyſaica triplicia in ſe continebat Præcepta. Moralia, & hæc ſpectabant ad rectitudinem naturalem populi Iudaici. Cæremonialia, & hæc pertinebant ad cultum Diuinum; & Iudicialia, & hæc pertinebant ad iuſtam politiam. Hæc autem Lex Vetus deſijt obligare non quidem ante Chriſti mortem, ſed in ipſa Chriſti morte, & Reſurrectione.

XIV.

LEx noua ſeu Euangelica, quæ eſt à Chriſto Domino inſtituta, Præcepta triplicis generis in ſe continens, nempè, moralia, Sacramentalia, & Fidei, licèt non ſit data à principio mundi, eſt tamen duratura vſque in finem mundi.


Quæ multipliciter à Veteri differt, nam Noua per Spiritum Sanctum cordibus hominum fuit insculpta; Vetus in tabulis lapideis conscripta. Noua nos iustificat: Vetus non; Noua est instituta pro Filijs & Hæredibus; Vetus pro seruis. Noua Mysteria fidei explicitè credit, Vetus solùm implicitè. Noua promittit nobis bona spiritualia, Vetus temporalia. Noua est veteris perfectio & complementum, Vetus vmbra, & figura nouæ. Tandem vt concludam cum Diuo Augustino, Vetus fuit Lex timoris, Noua autem Lex amoris. Ac proinde æterno Amori, nobis Legem Gratiæ, per suam mortem & Resurrectionem conferenti.

Sit Laus, Honor, Virtus, & Gloria.

Disputabuntur publicè in Conuentu Sanctissimæ Trinitatis, Fratrum Prædicatorum die Tredecima Aprilis, Anno Domini 1690. Obiectis satisfaciet Venerabilis P. Fr. NORBERTVS ZIEMKIEWICZ, *studens formalis; sub assistentia Reuerendi admodùm P. Fr.* **NICOLAI OBORSKI**, *Sacræ Theol. Præsentati, Studij Generalis Cracou: Baccalaurei.*



m cordi-
Noua nos
Vetus pro
. Noua
ris perfe-
t conclu-
x amoris.
m & Re-



Fratrum
9 o.
MKIE-
P. Fr.
ræ-

